

vi momento adiens excurrere ; quod si Cæsareana classis in ea maria se conferat , prælio decerneret . Interea Galliæ Rex , qui , ut diximus , ea , quæ in Neapolitano regno possidebat , conditionibus pacis Cæsari restituere debebat ; idemque ut Veneti facerent , enixurum pollicitus fuerat ; per suos oratores a Senatu petebat , ut quamprimum oppida , quæ in ea provincia Reipublicæ parebant , quemadmodum Cameraci convernerat , Imperatori traderet . Ea de re præterquam quod Coniacensi foedere cautum esset , id loco summæ gratiæ ab ea Republica impetraturum , cui ipse , prioresque Reges summa benevolentia difficillimis temporibus adfuerant : nulla alia ratione filios in spem regni enutritos recipere a Cæsare posse . Senatus decreto responsum datur : eadem mente erga Regem Rempublicam esse ; nullis fortunæ casibus ab ea se amicitia , quam summo studio majores illius coluerant , avelli passuram ; optasse suis rebus quoque Cameracensi pace consultum fuisse , atque cum reliquis principibus concordiæ rationes initas : ceterum quod ad Apuliæ loca attinet , Coniacensibus pactionibus neutiquam cogi , cum illis cautum esset , de pace , Republica non adsentiente , minime agere Regem oportere ; quod modo efficere nequeat , pro sua in Regem voluntate magis opportune facturam , cum duorum mensium spatium ad tradendos Regi filios statutum esset : interim sperare aliquas cum Cæsare pacis conditiones iniri posse . Hac re cognita , maris Præfectum in Italiam Rex mittere decrevit , ut ad pacem cum Venetis , aliisque principibus Cæsarem hortaretur ; Rentioque Ceriti mandaverat , ut quæcumque in Neapolitanorum finibus in potestate Regis Gallorum essent , ex foedere Cæsari restituerentur ; idemque , ut Veneti nagistratus efficerent , nitetur , qui prius de Senatus voluntate certiores facti abnuerant : Patrumque insederat animis , potius omnia experiri , quam ut Insubribus Cæsarem potiri paterentur . Quocirca sociali foedere soluto , recens cum Francisco Sfortia ineunt , ne sibi desit , hortantur ; omnem operam , studium , vires adhibituros ; nullis periculis , sumptibusque , ne avito imperio spolietur , parciuros . Interea quo tandem Cæsaris in Italiam adventus , exercitus terra , marique conquisiti tenderent , cuncti non modo Principes , sed etiam populi spectabant : hinc magnum immi-

nere

1529

*Franciscus
Rex a Sena-
tu petit , ut
urbes Nea-
politani re-
gni Cæsari
tradat .*

*Senatus re-
sponsu .*

*Urbes Nea-
politani re-
gni a Gallis
Cæsareanis
restitutæ .
Veneti cum
Sfortia no-
vum foedus
ineunt .*